



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 67. An sit obligatio omittendi actionem ad evitandum aliorum scandalum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42634**

dith, quæ vix aliter videtur fecisse, *cap. 9.* cum enim sciret permissionem libidinis in Holoferone, fore impeditivam malorum, posuit ei occasionem, nempe ornatum suum, alioqui licitum, & tamen communiter censetur in hoc non peccasse, *V. Bon. to. 2. d. 2. q. 4. p. 2. Pal. tr. 6. di. 6. pun. 5.*

## A D D E N D A.

*Q. 67. An sit obligatio omittendi actionem ad evitandum aliorum scandalum.* *R. Busenb.* absolutè affirmat, & hoc etiam est tutius atque probabilius: Alii tamen etiam probabiliter putant esse limitandum, quorum sententias referam: 244

§. 1. Quoad opera præcepta, *Castrop. t. 6. d. 6. p. 16.* aliique apud *Dianam. p. 5. t. 7. R. 21. & 22.* & apud *Pasq. de Sacrif. q. 1347.* universaliter sustinent, quòd ob vitandum præcisè scandalum non sint omittenda ulla opera præcepta: hinc *Tamb. in Dec. l. 4. c. 2. §. 2. n. 8.* docet, quòd puella sciens se ardentè amari à juvene, qui erit in templo, possit quidem die festo abesse à Missa propter Charitatem, non tamen teneatur, quia hoc est scandalum non datum sed acceptum, quod homo non tenetur vitare cum tanto detrimento omissionis Missæ: consentit *Ill. tr. 3. n. 111.*, dicens nequidem semel teneri emanere.

§. 2. *Castrop.* suprà cum aliis & *Dian. R. 23* 245 docent omitti debere vel ad aliquod tempus differri actionem bonam, quæ est tantùm consilii, uti est ingressus in Religionem, si proximus ex ignorantia vel infirmitate ideo scandalizetur; si autem scandalizetur suâ malitiâ & peccet ex pravo affectu, non ideo erit abstinendum, quia non tene-

teneor alterius malitiæ condescendere cum tali damno meo spirituali.

246 §. 3. Rarò vel nunquam teneris in propriis bonis jacturam gravem facere, ne proximus ob aliquam actionem tuam etiam ex infirmitate inde accipiat occasionem peccandi, ita *Castrop.* p. 17.; Rationem dat *Sanch.* in Dec. l. 1. c. 7. n. 11., quia quando inde oritur grave damnum, est veluti moralis impotentia vitandi talem occasionem, & tum causa est eam permittendi ponendo rem indifferentem.

247 §. 4. Quando aliquid non est per se malum aut specialiter prohibitum, non teneor ab eo abstinere, etiam si alius illo utatur ad malum finem, si ego ob bonum vel indifferentem finem cum rationabili causa id faciam, ita *Less.* in Auçt. v. *Matrimonium* cas. 18., ex quo sequitur quamvis puella sine ulla causa præbens se conspiciendam adolescenti, à quo scit se turpiter amandam, peccet mortaliter, si dedit à operà se offerat, tamen non peccat, si hoc faciat ex necessitate, & saltem non mortaliter, si faciat ex utilitate, aut ne se privet suâ libertate vel jure exeundi domo, aut stando ad ostium domus vel fenestram, ita *Cajet. Bonac. Sanch. Dian.* p. 2. t. 15. R. 30.

248 Q. 68. *Quid addendum sit circa denudationem colli & pectoris in mulieribus.* R. De hoc videri potest *Eliz.* in Reg. mor. l. 8. q. 13. §. 9., qui morem illum verbis gravissimis persequitur: præcipua ejus ratio est, quia ejusmodi mulieres quærunt placere & appeti à viris, certæ autem sunt plerosque per hoc habituros complacentias & appetitus pravyos: quod valet non tantùm de liberis, sed maximè de conjugatis, quibus minùs licitum